



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

tantum quod à quocumque præmio finito, quantumcumque multiplicato, nunquam exauriri possit. Potestque id declarari & illustrari exemplo potentia generativæ Patris æterni, quæ licet simpliciter & per essentiam infinita sit, unius tamen Filij generatione exauritur, quia talis Filius simili infinitate gaudet. Ita pariter, quod valor meritorius unius operationis Christi, totaliter exauriatur per incarnationem Patris ei correspondentem in præmium, illius infinitati non obest, quia incarnatio Patris est infinita in ratione præmij. Aliam hujus instantiæ solutionem vide supra disp. 4. art. 3. §. 2.

126. Objicies secundo: Infinito simpliciter in aliquo genere, non potest in eodem genere dari majus: Sed unus actus meritorius Christi, est majoris valoris meritorij, quam alius: Ergo nullus est simpliciter infinitus in ratione valoris meritorij. Major videtur certa, Minor probatur. Actus charitatis Christi adæquatur cum actu humilitatis in valore personali, & illum excedit in valore sumpto ex objecto: Ergo est major in ratione valoris meritorij.

127. Respondeo Majorem esse veram de infinitate intensiva, secus autem de extensiva; hoc enim complexum Deus homo, est quid majus extensive, quam Deus solus, non autem intensivè, quia humanitas in deitate eminenter continetur: quia ergo valor meritorius actus charitatis, ei competens ex objecto, continetur eminenter in valore actus humilitatis à persona desumpto, hinc fit quod actus charitatis Christi extensivè solum excedat actum humilitatis, non verò intensivè.

128. Objicies tertio: Quod dependet à pluribus causis quarum aliqua est finita, non est infinitum simpliciter, etsi alia infinita sint: Sed valor meritorius operationum Christi dependet à pluribus causis finitis, nempe à gratia habituali, ab intentione actus, ab objecto &c. Ergo etsi persona Verbi tales operationes eliciens infinita sit, illarum tamen valor meritorius, non erit infinitus simpliciter.

129. Respondeo Majorem esse veram, quando aliquid per se & formaliter à causa finita dependet; secus autem si ab illa dependeat materialiter tantum & subjectivè, ac præsuppositivè: valor autem meritorius operationum Christi, sumptus ex dignitate & sanctitate personæ, quem nos infinitum asserimus, non dependet à gratia, nec ab aliis concurrentibus ad actum, nisi solum antecedenter, & præsuppositivè, ut scilicet ponatur substratum recepturum infinitatem, unde non obstante hac dependentiâ, talis valor est simpliciter infinitus.

130. Objicies quarto: Valor meritorius supponit bonitatem moralem in opere, & ad illam consequitur, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 21. art. 4. Sed bonitas moralis operationum Christi finita & limitata erat: Ergo & valor illarum meritorius. Minor probatur: Tum quia operationes Christi multoties versabantur circa objecta finita: Tum etiam, quia licet aliquæ haberent infinitum objectum, quia tamen modus tendendi finitus & limitatus erat, non poterat infinitam bonitatem ab ipso desumere.

131. Respondeo quod licet valor meritorius supponat bonitatem moralem in opere, non solum tamen ad illam consequitur, sed etiam ad dignitatem & sanctitatem operantis, unde quando hæc fuerit infinita, ut contingit in proposito, valor meritorius infinitus erit, etsi bonitas moralis ac-

tionis finita & limitata sit.

Objicies ultimum: Si quodlibet Christi opus ratione infinitæ dignitatis & sanctitatis personæ à qua procedebat, valorem meritorium simpliciter infinitum habuisset, sequeretur quod prima operatio meritoria Christi, in primo conceptionis momento elicitæ, fuisset meritoria cujuscumque præmij, atque adeo quod Christus nec per alias operationes suæ vitæ mortalis, nec per suam mortem, aliquid potuisset mereri: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, nam opus continens valorem meritorium simpliciter infinitum, omne præmium possibile promeretur.

B Respondeo distinguendo sequelam Majoris: sequeretur quod prima operatio fuisset meritoria cujuscumque præmij, quantum ad sufficientiam & valorem, concedo. Quantum ad efficaciam & applicationem, nego. Itaque non ex defectu valoris primæ operationis quam Christus in primo suæ conceptionis momento elicit, non meruit omnia per illam, sufficientissima enim erat illa sola ad quodcumque præmium promerendum, etiâ si nulla alia superaddita fuisset; sed ex hoc quod Christus alia opera excellentiora ex objecto, vel magis ardua & difficilia, præsertim verò passionem & mortem suam, ad diversa præmia, specialiter ad salutem & redemptionem generis humani, ordinate & applicare voluit; unde communiter dicunt Theologi, Christum per passionem & mortem suam, meritum suum consummasse. Alia argumenta quæ contra nostram conclusionem fieri solent, supra agendo de valore infinito satisfactionis Christi, proposita & soluta sunt.

ARTICULVS V.

*An Christus sibi meruerit gratiam habitua-
lem, & gloriam essentialem animæ, vel sal-
tem mereri potuerit, tamen si illas à primo
instanti suæ conceptionis habuerit?*

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

SUPPONIMUS in primis ut certum, Christum à primo suæ conceptionis instanti habuisse gratiam habitualement, atque gloriam essentialem animæ, claram scilicet Dei visionem, ut supra de gratia habituali disp. 12. art. 1. §. 3. de gloria verò essentiali disp. 16. art. 1. ostensum est. Unde hic examinandum restat, quâ ratione utramque tunc obtinuerit, an scilicet per proprium meritum, vel sine illo?

E SUPPONIMUS etiam ut certum, quod si Christus assumeret naturam humanam, gloriâ essentiali, & gratiâ habituali spoliata, utramque mereri posset: nam in tali casu posset Christus elicere actus bonos supernaturales, vel cum auxilio supernaturali, vel ex unione naturæ humanæ ad personam divinam; cumque ex alia parte nulla ex conditionibus ad meritum requisitis deficeret, consequens fit, quod in tali hypothese Christus & gratiam habitualement, & gloriam essentialem mereri potuerit. Unde solum difficultas est, & controversia inter Theologos, an posito quod Christus ab initio conceptionis, tam gratiam habitualement, quam gloriam essentialem animæ habuerit, nihilominus illas potuerit promereri?

Prima

136. Prima sententia affirmat Christum de facto utramque meruisse. Hanc docent Altiſiodorensis, libro primo tract. 1. cap. 7. Major in 3. dist. 18. quæst. 2. Bassolis, Theophilus Raynaudus, & alij, illamque probabilem censet Suarez hic disp. 40. sect. 2.

Secunda extremè opposita negat id contingere potuisse, etiam de potentia absoluta, supposito quod Christus à primo conceptionis momento gratiam habitualement, & gloriam essentialem habuerit. Ita Medina hic art. 3. qu. 5. concl. 4. Nazarius contro. unicâ p. 7. concl. 2. Cabrera disp. 7. §. 4. concl. 2. & Joannes à S. Thoma disp. 18. art. 1. concl. 2. Hanc etiam sententiam insinuat Vazquez disp. 78. cap. 3. ubi docet quod si possibile foret ut Christus mereretur suam beatitudinem essentialem, illam de facto meruisset.

Tertia, quæ media est, affirmat id de facto non contigisse, potuisse tamen contingere de potentia absoluta, tamen si Christus gratiam habitualement, & gloriam essentialem animæ, ab initio conceptionis habuerit. Ita Cipullus hic art. 3. dubio 10. Episcopus Oxoniensis in manuscripto de gratia Christi, & alij ab ipso citati.

§. II.

Statuitur prima conclusio, & ostenditur Christum, nec gratiam habitualement, nec gloriam essentialem animæ, de facto meruisse.

Dico primò: Christus non meruit gratiam habitualement, nec gloriam essentialem animæ.

137. Hanc conclusionem probant aliqui hoc discursu: Christus non meruit unionem suæ humanitatis cum Verbo, quandoquidem unio hypostatica præcessit omne meritum, & gratiò humanitati Christi concessa est: Ergo neque meruit gratiam aut gloriam. Probant Consequentiam, quia gratia & gloria necessariò consequuntur ipsam unionem, sicut proprietates essentiali: unde sicut passionem non possunt cadere sub meritum, quia consequuntur essentiali, ita nec gratia habitualis, nec gloria essentialis animæ Christi.

Alij utuntur hac ratione: Gratia & gloria erant debite animæ Christi, titulo connaturalitatis, ratione unionis hypostaticæ: At quod est debitum alicui titulo connaturalitatis, non potest fieri iterum ei debitum per meritum: Ergo &c.

138. Verùm hæ rationes non videntur efficaces, prima enim supponit falsum, nempe gratiam habitualement & gloriam manare ab unione hypostatica tanquam illius passionem, hoc enim supra impugnatum est. Secunda verò habet manifestâ instantiam in gloria corporis, quæ erat debita Christo, titulo connaturalitatis, cum deberet connaturaliter emanare à gloria animæ, & tamen, ut videbimus articulo sequenti, Christus illam sibi meruit: unde habere aliquid ex merito, & connaturaliter, non sunt tituli se invicem excludentes. His ergo rationibus prætermisiss.

139. Prima pars conclusionis probatur hac ratione: Christus non meruit gratiam habitualement per actus ab ipsa procedentes: Sed omnis actus meritorius Christi à gratia habituali processit: Ergo eam non meruit. Major constat, nam principium meriti, de lege saltem ordinaria, non potest esse præmium operum procedentium ab ipso. Minor verò probatur: Oportuit ut anima Christi actus meritorios eliceret connaturaliter: Sed sic elici nequeunt sine gratia habituali: Ergo omnis actus meritorius Christi, à gratia habituali processit, Mi.

Tom. IV.

A nor supra probata fuit, Major verò constat: Tum quia de Christi actibus loqui debemus conformiter ad illorum naturam, nisi oppositum sit revelatum, vel aliquid inconueniens sequatur. Tum etiam, quia operari actus supernaturales modo non connaturali, est imperfectè operari: Christo autem attribuire debemus nedum perfectas operationes, sed etiam modum operandi perfectum.

Secunda pars conclusionis, quæ est de gloria essentiali animæ Christi, probatur primo ratione D. Thomæ, ad hanc formam redacta. Ut Christus mereretur animæ beatitudinem, necessarium erat quod illa aliquando caruisset: Sed carentia beatitudinis essentialis, pro nullo instanti fuit in anima Christi: Ergo non meruit essentialem animæ beatitudinem. Major manifesta videtur, nam meritum non est nisi ejus quod nondum habetur: Ergo ut Christus mereretur essentialem animæ beatitudinem, necessarium erat quod aliquando eam caruisset. Minorem verò probat D. Thomas, quia carentia beatitudinis magis dignitati Christi præjudicat, quàm per meritum illa accrescat, & consequenter majoris dignitatis est nunquam carere essentiali beatitudine, quàm per meritum illam obtinere: cum enim (ut notavit Cajetanus) essentialis beatitudo intra latitudinem gratiæ contineatur, illius carentia, est carentia plenitudinis gratiæ, quæ magis præjudicat dignitati Christi, quàm talis dignitas per meritum accrescat: Sed Christo concedi debet quod majoris dignitatis est: Ergo asserendum est, ipsum nunquam essentiali beatitudine animæ caruisse.

Secundò suaderi potest eadem pars hac ratione: Cognitio fidei, vel alia quæcumque inevidens, non potuit regulare meritum Christi: cum nec cognitio fidei, nec ulla notitia obscura, possit esse simul cum visione beata, quàm Christus à primo instanti conceptionis habuit: unde meritum Christi vel à visione beata, vel à scientia infusa ipsam consequente regulatum fuit: subindeque utraque scientia, beata nimirum & infusa, ad omne meritum Christi, tanquam illius regula supposita est: unde cum principium meriti non cadat sub merito, Christus nec scientiam beatam, nec infusam meruit, sed utramque à primo conceptionis momento, titulo connaturalitatis, à Deo recepit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam partem conclusionis: Juxta D. Thomam infra qu. 34. art. 3. Christus in primo suæ conceptionis instanti sanctificatus fuit per proprium actum, & propriam dispositionem, qui est modus sanctificationis adultorum, perfectiorque modo sanctificationis parvulorum: Ergo juxta D. Thomam, motus liber charitatis præcessit in Christo gratiam habitualement, nam actus disponens ad formam, saltem prioritate naturæ, petit præcedere formam: At prædicto actui nihil defuit ut de facto mereretur gratiam habitualement: Ergo illam de facto meruit. Minor patet, nam actus ille fuit supernaturalis, processit à Christo ut viatore, & ut subiecto pro illo priori grato, gratitudine personali: Ergo habuit conditiones omnes ad meritum necessarias, & consequenter de facto meruit gratiam habitualement.

Huic argumento respondent aliqui ex nostris Thomistis, quod licet Christus per proprios actus se disposuerit ad gratiam habitualement, eam tamen

PPP